



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio CXXXVII. Argumentum. Disseritur, Quid sit Avaritia? Quotuplex? Quæ ejus filiæ? Quæ mala proveniant ex Avaritia? Quibus remediis curanda?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)



Legatur Collegium Salmanticense de *Angelis* tract. 7. disp. 10. dub. 2. Mastrius in 2. sent. disp. 3. question. 4. & meus Libellus de Prima Estate Mundi serm. 4. ubi alii DD.

DECISIO CXXXVII.

ARGUMENTUM.

Differitur, Quid sit Avaritia? Quotuplex? Quæ ejus filia? Quæ mala proveniant ex Avaritia? Quibus remediis curanda?

SUMMARIUM.

1. Avaritia quid sit?
2. Quotuplex?
3. Ejus filia, & quot?
4. Avaritia mala ad quatuor genera redacta.
5. Avaritia similis radicibus arborum in tribus.
6. Avaritia vitium occultum, & apud homines incognitum.
7. Avaritia mater omnium iniquitatum.
8. Avaritia difficillime emendatur.
9. Avaritia cur assimilatur Idololatriæ?
10. Avaritiam ad extirpandam remedia octo.
11. Avari difficile salvantur.

**D**ictum fuit, Avaritiam esse amorem immoderatum habendi. Ex S. Th. 2. 2. quest. 118. art. 1. & ex Cardin. Tolet. lib. 8. cap. 24. num. 1. Vel etiam, esse inordinatum appetitum temporalium. Ex Busemb. lib. 5. de peccatis capit. 3. dub. 2.

Duplicem verò esse Avaritiam notarunt omnes, Unam contra Justitiam, quando quis injustè accipit, vel retinet rem alienam, Alteram, contra Liberalitatem, quando quis ex bonis licitè acquisitis, & sibi superfluis recusat succurrere proximo existenti in extrema, vel etiam in gravi necessitate. Et in utraque specie est culpa mortalis, nisi excuset levitas materiæ, aut defectus plenæ deliberationis. Cardin. Tolet. d. libr. 8. cap. 25. Azor. part. 1. lib. 4. cap. 1. Reginald. lib. 23. cap. 2. num. 26. & Layman. lib. 3. sect. 3. num. 14. in fine.

Quoad Avaritiæ filias, scribentes nostri ad stipulati sunt Divo Gregorio Magno libr. 31. Moral. cap. 31. Divo Thomæ 2. 2. quest. 118. art. 8. & Card. Tolet. de libr. 8. cap. 26. nimirum eas esse septem, videlicet quatenus Avaritia stat in retinendo, Obdurationem cordis, qua Misericordiæ viscera clauduntur pauperibus. Ut verò est in acquirendo, respectu affectus Inquietudinem; nam homo cupidus ditandi semper est mente sollicitus, variisque curis, & anxietatibus distrahitur, at respectu effectus, & operis Violentiam, prout in latronibus; Fallaciam præcipue in contractibus, nudo dolo proximum decipiendo; Perjurium, cum additur juramentum falsum, & utroque modo verbis tantum; & Fraudem, cum res mala exhibetur tanquam bona; & Proditionem, quando Avarus audet offendere personam proximi sui ob lucrum; & de his omnibus Reginaldus dist. libr. 23. cap. 2. num. 28. Cardin. Toletus ubi supra, cap. 26. & segg.

Porro Quæ mala proveniant ex Avaritia? plurimi plurima, & quidem doctè, piè, ac eruditè scripserunt; & ea omnia rediguntur ad tria genera, quæ fundantur in tribus proprie-

tatibus Radicis (siquidem radici ab Apostolo assimilatur hoc Vitium, dicendo, Radix omnium malorum est cupiditas. 1. Timoth. 6.) Et idcirco, quemadmodum Radices arborum sunt occultæ, sunt prolifica, & difficillimè evelluntur; sic Primum genus malorum, ex avaritia resultantium, comprehendit nescientiam, & in intelligentiam hujus Vitii: Secundum genus inferatam habet amplissimam prolem culparum ex Avaritia provenientium: Et Tertium genus amplectitur difficultatem de Avaro faciendi non Avarum.

Primum, magnumque genus iniquitatis est occultatio Avaritiæ, & juxta illud; Frutex peccati radicabitur in illis, & non intelligetur. Ecc. 3. 30. nam pauperes ex avaritia furantur, eamque prætextu necessitatis cooperiunt, non brachiis, sed manibus rapacibus victum querentes. Divites verò fraudant pauperes, cum impostura devastationis, quam hi faciunt in campis tempore fructuum? Mercatores ex avaritia fœnus patrant; at ipsum occultant sub fœnore damni emergentis, & lucri cessantis, periculi exigendi, etsi fidejussorem, vel pignora habeant, & adhuc se Patres pauperum jactant. Venditor inferit fraudem in re, emptor in pecuniis, & uterque malitiam suam vocat industriam. Sapiens enim sibi videtur vir dives. Prov. 28. 11. Ecclesiastici Simonias committunt, easque gratitudines, aut expensarum refectiones nominant. In summa plurimi ad avaritiam moventur in retinendo, in acquirendo vè opes inordinate; & tamen suis excusationibus vitium hoc tutantur, videlicet quilibet debet custodire res suas: Neminem oportet deserere suæ domus providentiam; & ita A minore usque ad majorem omnes Avaritiæ student; & malitia incognita, turpitudine occulta, & tanti flagitii labes, tantis operata prætextibus primum parit, & quidem grave malorum genus.

Secundum autem à secunda radicem proprietate, scilicet prolificatione procedit: Et quodnam est peccatum, quod ex Avaritia non infurgat? Pecunie obediunt omnia. Eccl. 10. 19. ideo Avari pecunias habentes, quamcunque appetunt iniquitatem, assequuntur; & ut, quod cupiunt, assequantur, omnem iniquitatem committunt. Hinc Avaro nihil est scelestius. Eccl. 10. 9. Et de Avaris scriptum, quod erraverint à fide. 1. Timoth. 6. Et in eis dilectio Dei esse non potest, juxta illud, Non potestis servire Deo, & Mammonæ. Matth. 6. 24. Contra reperiuntur in Avaris perjuria in negotiis, blasphemix in ludo, inobservantia dierum festorum, negligentia in filiis benè educandis, violentia in filiabus monachandis, inficitia in mysteriis fidei apprehendendis, odia, lites, fraudes, proditiones, furta, rapinx, usuræ, homicidia. Insuper incestus, stupra, adulteria, fornicationes, & si quæ pejora, imò pessima carnis sunt flagitia, ob abundantiam pecuniæ, superabundant; nec non Superbia, Gula, & qualibet omissionis, ac commissionis peccata; Nihil enim est malorum quod non cupiditas, aut concipiat, aut parturiat, aut nutriat, ut inquit S. Valerianus Homil. 20. de Avar.

Tertium tandem genus malorum ex radice Avaritiæ insurgentium est difficultas emendandi,



di, eamque è cordibus humanis evellendi: 8 prodigum namque emendari posse, non etiam avarum autumat S. Thom. 2. 2. *quest.* 119. art. 3. Ratio est, quia neque Verbum Dei audit, vel si audiat, minimè credit; raro confitetur peccata, & confessarium quærit, qui nesciat, aut non audeat illum de avaritia redarguere. Propterea avarus procedit tanquam flumen, magis, atque magis ripas devorans, quò majores consequitur aquas, & est similis Pyramidi, quæ fit subtilior, quo magis extollitur, nam & avarus in lucro captando magis semper ingenium acuit. Quare, Qui aurum diligit, non justificabitur. *Eccl.* 31. 5. & quàm difficile, qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt? *Marc.* 10. 23. Et non sine causa testatus fuit Apostolus, quod Avaritia Sit Idolorum servitus. *Ephe.* 5. 5. non solum, quia consistit in argenti, & auri materia, de qua formabantur Idola, vel quia Avarus credit, sperat, & amorem suum habet in argento, & auro, prout Idolatræ in idolis; sed etiam quia non sine miraculis converti possunt Avari, prout neque Pagani; imò etiam ad miracula convertantur gentiles, ad ea non convertuntur avari; quare Audiebant omnia hæc Pharisei, qui erant avari, & deridebant illum, idest Salvatorem, miracula facientem. *Luc.* 16. 14.

Quo verò ad Remedia conscripserunt Decifores sequentia 1. Mortis frequentem considerationem, nam teste S. Hieronym. Facile contemnit omnia, qui sæpe cogitat, se esse moriturum 2. Malum exitum divitiarum post mortem, dum corpus datur vermibus, anima demonibus, bona temporalia hæredibus, aut ingratibus, aut prodigis, ea consumpturis; & idè *Eccl.* 2. 21. habetur, quod Avarus homini otioso quæstia dimittat 3. Monitionem Apostolicam, omni veritate plenam 1. *Tim.* 6. 8. quod scilicet Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus 4. Meditationem illius Evangelicæ veritatis *Matth.* 16. 26. Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ suæ detrimentum patitur? 5. Ponderanda esse incommoda, quæ ex divitiis insurgunt, nam ut habetur 1. *Tim.* 6. 9. Qui volunt divites fieri, incidunt in multa desideria inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum. 6. Exemplum Christi Domini Salvatoris, qui, ut scriptum est 2. *Cor.* 8. 9. Pro nobis factus est egenus; voluit enim paupertatem sequi, quamvis absque ullo defectu potuisset divitias possidere 7. Fiduciam in Deo, qui nobis necessaria providebit, de quo testatur Apostolus *Hebr.* 13. 5. Ipse enim dixit, non te deferam, neque derelinquam 8. Tandem inculcandam esse difficultatem æternæ salutis, quam omnes Scripturæ declamant: Siquidem Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Cælorum. *Matth.* 19. 24. Et sicut, Neque fures, neque rapaces, ita neque Avari Regnum Dei possidebunt. 1. *Cor.* 6. 10. prout latius prosequitur Marchantius in *Tuba Sacerdotali tract.* 2. per tredecim lectiones, ubi plurima argumenta, Patrum sententias, & exempla ad extirpandum hoc Avaritiæ genus cumulat, Sylva Historialis Joan. Bapt. Matthioli, l. 9. tit. 2. & novissimè P. Paulus Segnerius Soc. Jesu in erudito suo opere Christiani instructi *Serm.* 26. Et in Meditationi-

bus, seu Manna Animæ die 30. Martii; & die 15. Junii, & die 27. Augusti. Optimè Reginaldus in *Praxi* l. 7. cap. 6. à n. 64. ubi remedia plura inculcat.

## DECISIO CXXXVIII.

## A R G U M E N T U M

Declarat hæc Decisio 1. Quid sit Amor carnalis? 2. Quotuplex? 3. Qui ejus effectus? & damna? 4. Quæ remedia?

## S U M M A R I U M.

1. Amor carnalis quid sit, & quàm vehemens passio?
2. Amor carnalis quadruplex.
3. Amoris Veneris damna quatuor.
4. Amoris Carnalis ad propinquos damna.
5. Amoris inter Nobiles diverſi sexus pericula.
6. Amoris inordinati inter Spirituales damnum.
7. Amoris carnalis remedium fuga, & cogitatio æternorum.
8. Libri, & Autores legendi contra Amorem carnalem.

Quoad primum dixere: quod Amor carnalis sit inordinatus appetitus venereorum, aut terrenorum in homine vehementissimus. Ex S. Aug. lib. 11. *super Gen.* ad lit. cap. 42. ex Nav. in *Enchirid.* cap. 23. n. 12. ex Reginaldo in *Praxi* l. 22. cap. 1. 2. & 3. ex Bufembaum, l. 5. c. 3. dub. 3. & ex P. Paulo Segnerio in *Christ. instructo par.* 1. Reg. 15. n. 14. ubi notat, ita vehementem esse passionem Amoris carnalis, ut duos sapientissimos omnium hominum insanire fecerit, quos Deus ipse erudiverat, Adamum scilicet ex nimio amore erga Evam, & Salomonem erga mulieres suas.

Quoad Secundum ostensum fuit, Amorem carnalem esse quadruplicem: nempe, Venerum, Naturalem, Civilem, & Spiritualem. Amor carnalis Veneris est illorum, qui luxuriæ dediti omnem sectantur impudicitiam, & peccata carnalia, ac eorum species frequentant, sive secundum, sive contra naturam; de quibus ait Apostolus ad *Gal.* 5. 19. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. Amor carnalis Naturalis est illorum, qui inordinatè diligunt propinquos, & sanguine conjunctos; & præcipuè Ecclesiasticorum, nimio amore Nepotes prosequuntur, & eos redditibus Ecclesiæ ditare studentium contra Sacros Canones, & Tridentinum Decretum *sess.* 25. de *Reform.* cap. 1. De quibus Carmen.

Cum Factor rerum privasset semine Clerum.

Ad Satana votum, successit turba Nepotum.

Amor Carnalis, sed Civilis, ille censetur, quem frequentant, ut plurimum, Nobiles sub nomine urbanitatis, Matronis servitutem profitentes, obsequium, & civilem amorem; quos redarguit Psalmista *Psal.* 4. 3. dicens, Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? Amor carnalis tandem Spiritu-  
lis appellatus, ille est, qui nutritur inter personas spirituales, non ad malum finem, sed cum spiritualis profectus detrimento; sunt enim hi spirituales amantes, sibi adinvicem idola; juxta illud Apostoli *Gal.* 5. 20. Idolorum servitus.

Quoad